

Philipus Parsons

‘Atalanta’

Fabula
(1612)



Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg

Dezember 2006

Interlocutores

Venus	
Cupido	
Schoeneus	Rex
Atalanta	
Narcissus	
Amphialus	Proci
Hippomenes	
Doris	
Sylvania	Nymphae
Menalcas	
Corydon	Pastores
Sylvanus	
Phoebe	Pueri Arcades
Davus	Assecla Hippomenes
Anteambulones duo	

Scena Arcadia

Prologus

Quid hic paremus, proloqui non est opus:
Atalanta cui non cognita? en, scripta emicat.
Tantum leones nolumus; monstra effera
Et iam sopita urgere vix tutum reor.
Meta est laboris finis; et oberrat scopo,
Siquis aliquando pergere ulterius velit.

5

Actus primus

Scena prima

<*Ingred.*> *Venus, Cupido.*

- Ven. Cupido fili, quam diu sperni meum
Patiere numen? et superbifica manu
De me triumphos agere mortales sines?
O tibi, supremum qui uris indomita Iovem 10
Face, siqua cura est numinis matris, cape
Celeres sagittas atque de summo aethere
Iaculare amores; ignibus torre novis
Mortale genus, ut sentiat tellus, Deos
Negligere quid sit.
- Cup. vetera iam querimur mala, 15
Nova monstra surgunt; me quoque infantem vocant
Puerumque coecum, sed suo magno malo
Nimis oculatum intelligent, nimium senem,
Patienter ista si modo ad tempus feras.
- Ven. Facile ista paterer, maius at vexat malum: 20
Arcadia dives, saepe muneribus meis
Tuisque aducta, nunc fugit amoris Deam,
Blandas severae Palladi fundens preces.
- Cup. An ista credat ulla posteritas mala?
An ulla taceat?
- Ven. imo adhuc gravius premor: 25
Etiam Atalanta pulchra, deliciae patris
Venerique chara, templa fastidit mea.
Nam de marito Delphicum supplex Deum
Ambit, relictis candidae Veneris sacris.

	Ingrata virgo, quaeris a Phoebo virum?	30
	Diuque quaeras, sed tibi arbitrio meo	
	Dabitur maritus: tela tu, fili, para.	
Cup.	Vt simul ametur atque amet, faciam cito.	
Ven.	Quin perge, nate, vendica nomen tuum	
	Numenque nostrum ab impiis hominum probris.	35

Exeunt.

Scena secunda

Atalanta sola cum oraculo in charta scripto.

Atal.	‘Coniuge’, dixit, ‘Nil opus est, Atalanta, tibi: fuge coniugis usum; Nec tamen effugies teque ipsa viva carebis.’ Quid vult Apollo? quid sibi hae voces volunt? ‘Coniuge’, dixit,	40
	‘Nil opus est, Atalanta, tibi?’ Non opus amictu hoc, non opus famulis, thoris Regumque dapibus; multa mortales decent, Et saepe cupiunt multa, queis non est opus. Sed pergo; quid me proximo admonuit loco?	
	‘fuge coniugis usum; Nec tamen effugies.’ Quam verba sunt haec dissona et pugnantia? Vult fugere, non effugere; quorsum ergo iubes Vanos labores suscipere? vel cur virum	45
	Ego virgo fugiam? sorte quam dura premor? ‘teque ipsa viva carebis.’ Tamen caremus, quod deest vel quod manus Violenta rapuit. cuncta mors aufert, scio;	
	Sed nos amicis vita, nos nobis dedit.	50
	Quam vana, quam perplexa, quam dubia omina? Aut nulla sunt, quae Phoebus obscurus refert, Aut stupidum, iners et futile ingenium meum. Sed enim quid haeres, anime? iam dudum sua	
	Satis diserte oracula explicit Deus: Spernenda tibi coniugia, taedarum graves	55
	Aversa curas, colito virginem decus. Hoc mandat, huic parere mandato decet.	
		60

Scena tertia

Ingred. ad Atalantam Doris et Sylvania.

- | | | |
|-------|---|----|
| Dor. | Sylvania, adsis subito. | |
| Syl. | cur Doris vocat? | |
| Dor. | Cernis Atalantam? quidnam in his sylvis agit? | 65 |
| Syl. | O Phoebi ab aris rediit, ubi placuit Dei | |
| | Responsa petere de maritali thoro. | |
| Dor. | Placide alloquamur. | |
| Syl. | sit nisi molestum tibi, | |
| | Congratulamur fausta coniugii omina. | |
| Dor. | Celebrem maritum Apollo concessit, scio; | 70 |
| | Et te beatam prole numerosa fore | |
| | Promisit, et nunc ista meditaris bona. | |
| Syl. | Forsan revolvis pectore amplexus viri | |
| | Aut de obstetricie cogitas, de filii | |
| | Nomine futuro. mitte nunc ista, obsecro; | 75 |
| | Nam tempus istis dabitur, et dabitur locus. | |
| Atal. | Nec haec nec illa cogito, mihi credite; | |
| | Tantum statutum est me choro vestro addere | |
| | Sylvisque amores pellere et amoris iocos. | |
| | Quae ratio sit, rogare nolite amplius; | 80 |
| | Sine ratione nil agi vobis satis. | |
| Dor. | Satis est superque. nostra quod fias, placet. | |

Exeunt.

Actus secundus

Scena prima

Ingred. Schoeneus, Narcissus, Amphialus et Anteambulo.

- Nar. Tandem expetita affulsit optatis dies
Adestque destinata responso tuo,
Excelse princeps; statue iam curis modum. 85
Spectata satis est nostra iam pridem fides.
- Amph. Magisque nostra. potius Amphialum pater
Generum salutet: nostra quoque, Rex inclyte,
Non minima merita; merita quae nosces magis,
Paterna modo promissa confirmes mihi. 90
- Schoe. Non is mihi animus, regii iuvenes, fuit,
Vt detinere vos per ambages velim.
Sed magna cum geruntur, alicuius Dei
Rogare et expectare responsum decet;
Et Delphicum hodie nata consuluit Deum. 95
Quod non redierit, miror; at quando redit,
Placita scietis Divo et Atalantae simul.
- Nar. Et ecce, tandem Diva cum nymphis adest.

Scena secunda

Ingred. Atalanta cum Doride et Sylvania.

- Schoe. Diu expetita, grata sed tandem venis,
Atalanta chara. fare, quid superi volunt? 100
- Atal. Non fata facile intelligit quisquam sua,
Scrutanda nec sunt consilia Divum abdita.
Tamen aliquid est, quod Delphicus Apollo docet
Quodque tibi soli - sic enim monuit Deus -
Narrare liceat.
- Amph. an et adhuc nectis moras? 105
- Atal. Mora nulla dabitur; unicum hoc tantum mihi
Concedite, et narrabo, quae placeant satis.
- Schoe. Nec fore diu promitto. modo veniam date,
Arcana mihi consilia dum virgo indicat.

Exeunt omnes praeter Schoeneum et Atalantam.

- Quid subito palles? cur tremis? sanguis genas
 Cur liquit? ecquid triste praedixit Deus?
 Effare citius, quicquid est.
- Atal. tantum haec lege;
 Nam sunt tremenda, quae mihi impendent mala.
- Atalanta dat patri oraculum in charta scriptum, ille legit partem ultimam.*
- Schoe. ‘teque ipsa viva carebis.’
 Quid haec sibi volunt? consona videntur parum,
 Prorsus sinistra.
- Atal. mecum ego haec volvens diu,
 Nec quid monebar, nec quid efficerem, bene
 Statuere potui, donec agitanti omnia
 Tandem placebat sola virginitas mihi.
 Iamque oro supplex, liceat ut venia tua
 Dicare reliquos coelibi vitae dies.
- Schoe. Id Dii prohibeant, qui tibi et formam et genus
 Dedere dignum coniuge; et debes mihi
 Natos, nepotes, principem huic debes throno.
- Atal. Potius remittas, nata quae debet patri,
 Quam mille nondum cognita sequantur mala;
 Nam monstra, credo, quae mihi minatur Deus.
- Schoe. Si tibi remittat debitum et patria et pater,
 Num sic procorum turba se ludi sinet?
 Caede et furore facere me miserum paras.
- Atal. Ignosce tantum, genitor, et facile omnia
 Praestabo, quae velles; nec illudam procos:
 Nam lege certa cuilibet coniux ero.
- Schoe. Quaenam illa lex est?
- Atal. cursus: ut si quis pedum
 Pernicitate forsan evadat prior,
 Me capiat, habeat, rapiat uxorem sibi.
 Noli ista mihi negare, per matris rogum,
 Per virginalem semper optandum thorum,
 Per ipsa divi Apollinis sacra abdita,
 Perque decus omne regium supplex rogo.
- Schoe. Assurge, nata, quodque pater unum potest
 Dare, differ istas nuptias; et, qua potes,
 Falle arte, qui non facile falluntur, procos.

Ingred. Anteambulo.

- Ante. Ignosce, princeps inclyte: procorum cohors
 Amore flagrans, omnis impatiens morae,
 Intrare cameram me vel invito volunt.

Schoe. Statim advocentur; tuque responsa ocios
Meditare: quid respondeat, nescit pater.

Scena tercia

Ingred. Narcissus, Amphialus.

- | | | |
|--------|--|-----|
| Atal. | Quam multa vobis debeam, insignes proci,
Hodie repetere non opus; tantum pudet
Non posse me referre, quae merita exigunt.
Nimium severus, tetricus nimium fuit
Apollo, qui me lege devinxit gravi.
Vt verba repetam, vultis? ita fatur Deus:
‘Currendo qui te vincet, is coniux erit.
Currendo victus morte supplicium luet.’
Et ni exequatur genitor hanc legem, perit. | 150 |
| Schoe. | O nata, quam me lege devinxit gravi?
Superantur a te; cur mihi poenas darent? | |
| Amph. | Lex dura non est. nisi fuero cursu prior,
Nullum recuso mortis aut poenae genus. | 155 |
| Narc. | Conditio placuit. nos quid hic trahimus moras?
Inire cursum gestiunt iam iam pedes. | |
| Schoe. | Cursumque cras tentare, si placeat modo,
Potestis, et precabor ego fausto omine. | 160 |
| | <i>Exeunt.</i> | 165 |

Scena quarta

Ingred. Menalcas, Corydon, Sylvanus, Phoebe.

- | | | |
|--------|--|-----|
| Coryd. | Salve, Menalca, si modo his possit salus
Reperiri in agris, ubi tot egregii duces
Celeres feruntur ad necem. | |
| Men. | princeps quidem
Digno marito digna, quamque omnes colant
Cupiant, sequantur. | |
| Coryd. | nullus est dignus tam,
Qui perfruatur, si foret Corydon potens | 170 |

	Divesque; nisi me vellet aliquando sequi, Vel sola rueret.	
Phoeb.	virgines, genitor, viros Nunquam sequuntur.	
Sylv.	si viri placide advocent, Facile sequentur.	
Phoeb.	tute vix mecum potes Inire cursum.	175
Sylv.	ni pedum cursu prior Evasero, omnis virgo me calcet pede. <i>Sylvanus et Phoebe currunt.</i>	
Men.	Sylvane, recte curris.	
Coryd.	et Phoebe bene.	
Phoeb.	Prius evolavit.	
Mena.	cursus hos pueros decet. Cur non deceret principes?	
Coryd.	pueros quidem Puerilia, at maiora maiores decent.	180

Scena quinta

Ingred. Hippomenes, Davus.

Men.	Tace; hospes aliquis obviam nobis venit.	
Hip.	Salvete ad unum singuli! veniam date, Quod sim molestus; naufrago erranti viam Monstrate. quaenam haec regio? quae mundi plaga?	185
	Docete.	
Men.	gratus advenis; nec enim locus Hospitibus alius mitior. vulgo vocant Arcadiam; in illa turba pastorum frequens Degit, beata, ni sua ignoret bona. Et rusticari ne putas, multum loco	
	Natura tribuit, tota Musarum cohors Plura addiderunt; hanc enim terram incolunt. Hinc pastor omnis floret ingenio potens Animoque solers.	190
Dav.	tu quoque ingenio potens.	
Hip.	Satis impudenter.	
Men.	huic solo summus praeest Schoeneus, unica beatus filia, Pulchra et pudica virgine; Atalantam vocant.	195

Hip.	An virgo nondum adulta?	
Men.	satis annis viget, Viro satis matura.	
Hip.	quos ergo procos Habet?	
Men.	procorum numerus etiam ingens adest; Sin lege dura, nemo quam tutus ferat, Opprimere pergit, numerus hic fiet minor.	200
Hip.	Quaenam illa lex est?	
Men.	scilicet cursulevi Superanda, vel, quos superat, ad mortem trahit.	
Hip.	Non tam ferocem virginem ac stultos procos Reor esse, qui periculo tanto ambiunt. Nam quisquis onera ferre vult, cur non ferat? At mulier omnis, omnis et coniux onus. Imo Cupido, quem Deum fingunt sibi Iuvenes inepti, futile inventum otii,	205
	Venusque vanum nomen aut prorsus nihil.	
Men.	Augusta tamen hic templa conduntur Deae, Et ara stat vetusta, quam populus colit.	
Hip.	Et digna tantum Diva, quam populus colat. Sed quid moramur? virginem et stultos procos Statim intueri cupio; tu modo dux viae Adsis, benigne pastor, et gratum scies.	215
Men.	Supremum ad apicem montis et densum nemus Comitabor; inde regiam possis domum Aspicere.	
Hip.	non rogare quid possum amplius.	220

Exeunt Menalcas et Hippomenes.

Coryd.	Ego me, Menalca, conferam interea domum Mecumque ducam parvulos comites viae.
Dav.	Opus est commitibus: nam parum solus sapi.

Exeunt.

Scena sexta

Ingred. Atalanta, Doris, Sylvania ad venationem.

Atal.	Sic hasta dextrae aptatur; atque humeris comae, Lateri pharetra. talis in sylvas ferar.	225
-------	--	-----

- Dor. Quisnam inquieto pectori accessit tuo
Ardor? recessum et invias sylvas coles?
Potius benigno provokes vultu tibi
Venerem; in feroces dextra non didicit tua
Torquere duros tela per saltus feras. 230
- Atal. Dilecta, Doris, Nympha, cui saltus placent:
Nympham Diana vita quae deceat magis
Quam quae Dianam? Veneris ut fugiat choros
Puerumque telis figat Idalium suis.
- Syl. Non sic benefica, ut sperneres castos thoros,
Natura, non sic mollis edocuit parens,
Amore quae coacta te in lucem tulit.
Animum relaxa vividum, annorum memor
Venerem parentem finge, naturam ducem. 235
- Atal. Frustra medelas pectori immoto novas
Quaeris. statutum est; tuta iam amovi faces
Lascivientes. clarius hoc voluit Deus,
Hoc ipsa volui. 240
- Syl. sed proci patris in domo
Errant, pererrant.
- Atal. lege, quam dixi modo,
Procos abegi; quoque securum magis
Certamen ineam, per iuga et saltus pede
Celeri vagabor: sic inassuetis licet
Laxare membris musculos. 245
- Dor. pennas amor
Addet procorum cursui.
- Atal. et nostro timor.

Exeunt ad sylvas.

Actus tertius

Scena prima

Hippomenes solus.

- Hip. Quid pergo solus ire per densum nemus? 250
Praestat quieti languidum corpus dare.
Atque ecce, viridis platanus hic pandens comas
Defendit alte torridum Phoebi iubar.
Quid, si recumbam? forsan huc Davus pedem

Recumbit Hippomenes.

- Movebit, ubi vagando se fessum invenit. 255
Verum quid hoc est? vix meos oculos levo;
Fassis profundus somnus obrepit genis.
Immitte laeta somnia, o Morpheu, precor.

Dormit.

Scena secunda

Ingred. Venus et Cupido.

- Ven. Tandem, Cupido, numinis nostri iacet 260
Contemptor; ecce, stertit. haud sensit puer
Amoris ictus; qui vel in patulis agris
Fusus quietem capere securus potest.
O nate, cuius prompta de pharetra levi
Sensere superi tela, sensere inferi,
Sensit et in undis tertiae sortis Deus:
Nunc mihi triumphum saucio Hippomene refer.
- Cup. O chara mater, tela quid dubitas mea
Experta toties pectori, ignoscas, tuo?
Parebo monitis; tuque, qui placide satis
Dormis sub umbra: faciam, ut in tenebris vigil 270
Curas revolvas; quidque sit Cupidinem
Spernere, docebo. nempe me caecum soles
Puerum vocare; non feram haec probra amplius:
Vincam videntem caecus et iuvenem puer.

	Numen parentis et meas posthac faces Spernere cavebit mundus exemplo tuo.	275
Ven.	Iam, nate, laudo, laudo generosam indolem. Sed age, pharetris spiculum promas tuis; Prome, inquam, acutum spiculum: plaga haud levi, Vt amare possit durus Hippomenes, opus.	
Cup.	Ne metue, mater: arma bene novi mea. En, hic sagitta, qua tonans superum pater Transfixus olim gemuit in falso bove; Quis credat? eadem haec flexit immanem nigrae Stygis tyrannum iamque mortalis viri	280
	In pectus ibit. si modo, Hippomene, potes, Audi: Cupido mittit hoc donum tibi.	
	<i>Cupido vulnerat Hippomenem.</i>	285
Ven.	Sic, sic medullis intimis plaga insidet.	
Cup.	I nunc, rebellis, sperne iam numen meum.	
Ven.	I nunc, amantes lude, si libeat, procos.	290
	<i>Exeunt Venus et Cupido.</i>	

Scena tertia

Hippomenes expergefactus.

Hip.	Num somniavi nuper? an vigil exstitti? Ecquis prope aderat? ecquis his dumis latet? Me vulneratum sentio, at vulnus tamen Nusquam patescit; pectus at nimium premit. Mutatur aer, suavius quiddam locus Hic ipse solito spirat, aut fallunt mei Sensus; et ipse mutor, aut certe locus	295
	Mutatur iste. utrumque mutatum reor. Accessit aliquid; et dolor non est, tamen Aliquid dolori simile, quod mentem gravat.	
	<i>Cornu sonat intus.</i>	300

Iterumne falli pergo? vel cornu audio?
Est illud ipsum; scilicet venaticos
Errare in istis arbitror sylvis canes.
Huc forsitan ad me diriget gressum vagum
Venator aliquis, qui suo mentem anxiam

305

Sermone relevet; audio strepitum pedis.

Scena quarta

Ingred. Atalanta.

Atal. Non sic abibit, concito cursu sequar.

Exit. Hippomenes videt Atalantam in tractu.

Hip. An plura sensus visa deludunt meos?
 Quaenam ista species? nemora num tales habent
 Arcadica nymphas? vel Dea haec nemorum fuit? 310
 O quam superbo transiit velox gradu!
 Quam bene decebat vestis huc illuc levi
 Agitata vento! quantus in vultu decor!
 Lactea tegebant colla quam pulchre comae!
 Amare, fateor, aliquis hanc formam potest.
 Sed cur amoris nomen invisum meo
 Profertur ore? quid sit, ego necdum scio
 Nec scire cupio; vita mihi caelebs placet. 315

Scena quinta

Ingred. Davus.

Dav. Hero salutem Davus exoptat suo.
 Hip. Optare forsan potes; at invigilas parum
 Domini saluti. 320

Dav. te scio vigilem satis.
 Hip. At somnus hodie oppressit, et somnus gravis.
 Dav. Ideoque volui abesse, ne strepitu rudi
 Dulcem soporem abrumperem.

Hip. curae tuae
 Me multa scio debere.

Dav. si quando placet
 Persolvere, ego paratus, accipiam lubens. 325

Hip. Imo, scelerate, debitas poenas lues.
 Venationi intentus in sylvis agis;
 Sed fare, nequam: praeda num visa est tibi?

Dav. Non una tantum, praeda mihi visa est triplex;
 Tres nempe formosissimae nymphae ... 330

Hip. tace.
 Duas adesse video; nos etiam vident.

Scena sexta

Ingred. Doris et Sylvania.

- Dor. Monstrate, iuvenes, si qua de nostris modo
Sororibus sit visa, per sylvas vaga,
Humeris pharetram, spiculum dextra gerens. 335
- Hip. Hac illa iam iam vestra, quam petitis, soror
Ibat, fugacis hinnuli calcem premens,
Vt credo. sed vos obsecro, sexus decus,
Narrate nymphae - longa non fuerit mora -,
Quaenam vocetur foemina aut potius Dea. 340
- Dor. Accipito paucis, hospes egregie, omnia;
Nec tempus etenim multa, nec patitur locus.
- Dav. Nec multa stomachus iste ieunus satis.
- Dor. Atalanta magna, si modo nomen tuas
Atalantae ad aures venerit, dudum tibi 345
- Conspecta, nostra pariter et Domina et comes,
Nunc hisce sylvis sequitur innocuas feras.
Sed quando nitida crastinum mundo diem
Aurora reteget, stadio longo novos
Cursus inibit cum suis eadem procis. 350
- Lex dura cursus forsitan audita est tibi?
Audita satis est.
- Hip. ergo, ne referas, precor.
- Hip. Tantoque cum periculo uxorem peti
Miror; sed illa digna, quam multi ambiant,
Pro qua pericula multa quis subeat lubens. 355
- Syl. Parum est subire; plurimi damno suo
Vitaeque damno morte perierunt grave.
Sed praeda nos expectat, expectant canes.
- Dor. Atalanta abesse tam diu queritur, scio.

Exeunt Doris et Sylvania.

Scena septima

Manet Hippomenes cum Davo.

- Dav. Placetne ad aulam pergere? esuriens iecur
Libenter aliquid vellet. 360

Hip.	ignosco lubens, Ignosco, iuvenes, quos modo illusi procos; Mihi nota nondum praemia fuerunt satis: Forma ista pretio quolibet constat bene.	
Dav.	Vix ego, si haberem, frustulum panis darem. Sed cantilenam quomodo hanc didicit novam?	365
Hip.	Sic est: iacentem vulnere inflictio Deus Mutavit aliquis; qui fui, non sum amplius. Invideo vobis, invideo vobis, proci; Et metus, nequis celerius currat.	
Dav.	moram Quid ergo nectis?	370
Hip.	Dave, me recte mones; Nec etenim eodem qui loco figit pedem, Currendo vincet. sed cave, Hippomene; nam opus Periculorum aggrederis et plenum alea. At grande nihil est, nisi quod egregium facit	
	Labor et periculum. per maria, supera, infera Sequar Atalantam.	375
Dav.	at, Domine, praecedas nisi, Nunquam sequeris.	
Hip.	aliquis audentem Deus Iuvabit; aliquid semper audendum in malis. Et sic ad aulam praepeti penna feror.	
Dav.	Et sic ad aulam praepeti penna sequor.	380

Exeunt.

Scena octava

Ingred. Venus et Cupido.

Cup.	Nunc insolescat iuvenis Hippomenes, meas Nunc mente tumida contumax spernat faces.	
Ven.	Bene est, peractum est: vicimus, nate; et tuas Abunde partes iam peregisti. suas, Reliquum est, superbus peragat Hippomenes.	385
Cup.	at, at Haud facile peraget: sentiat, mater, novi Vires amoris, quaeque eum spernat, colat. Amare facile est, poena nec talis nocet; Grave non amari. sensit hoc Phoebus meum Expertus odium, dum reluctantem nimis	390

- Flagrante Daphnen mente deperiit, suo
Amore nec potitus infoelix nisi
Trunco in virenti. sensit hoc Divum pater,
Quem fulminantem terra caelumque horruit. 395
- Ven. Sed ira, nate, nostra ne excedat modum:
Sat vindicatum est; saepe magnificas levis
Vindicta vires minuit, et nostrum magis,
Siqua potitur, numen Hippomenes colet.
- Cup. Nondum obsecranti, forte spernenti manum 400
Vltro offerendam statuis? hoc Veneris faces
Venerisque puerum deceat?
- Ven. auxilium - puer,
Ne metue! - victa mente mature petet;
Opemque, supplex qui petit, dignus ferat.

Exeunt.

Actus quartus

Scena prima

Ingred. Menalcas, Corydon, Sylvanus, Phoebe.

- Coryd. Vicine, cursus ut tibi tandem placet? 405
 An non celeriter regia cucurrit satis
 Virgo?
- Men. imo longe liquit a tergo procos.
- Coryd. Perstrinxit oculos praepeti cursu meos.
- Men. Vt signa primum flexiles dederant tubae,
 Scythica sagitta celerius visa est mihi 410
 Volare princeps; vix quidem tetigit solum.
 Transire maria crederes sicco pede
 Stantesque, si percurreret, aristas levi
 Vix premeret onere.
- Coryd. bone Deus! quantus fuit
 Vndique tumultus, quantus in campis sonus. 415
- Men. Clamor favorque spiritum adiecit novum
 Velociusque rapta, dum vulgus monet.
 Nunc tempus est incumbere; o nunc, nunc opus
 Properare, totis viribus nunc utere.
- Sylv. Mihi crede, genitor, ipse clamavi semel. 420
- Phoe. At ego Atalantam nomine vocavi suo
 Et ‘curre’ dixi; meque tum vidit, scio.
- Coryd. Videre miseros me quidem piguit procos.
- Men. Saepe gemuere miseri, et a lasso aridus
 Veniebat ore anhelitus.
- Coryd. certum est eos 425
 Nece perituros?
- Men. legis ita durae iubet
 Conditio; neque Rex, ut ferunt, vitam dabit:
 Audere nimium tam gravem culpam putat.
- Coryd. Dum loquimur ista, ad vesperum vergit dies.
 Vt colligamus nos oves, tempus monet. 430
- Men. Abeamus ergo; sol enim occasum premit.

Exeunt omnes.

Scena secunda

Ingred. Schoeneus, Hippomenes, Atalanta, Amphialus et Narcissus vinci cum aliis.

- | | | |
|--------|--|-----|
| Schoe. | Nimium severum forte Schoeneum putas,
Dilecte princeps, lege tam dura procos
Quod premere pergam. crimen at non est meum:
Punire victos, sic enim monuit Deus. | 435 |
| Hip. | Recteque monuit; sunt enim digni nece,
Qui, cum laboris praemium tantum ferant,
Qui, cum labore tam decens adsit comes,
Properare nolint, ut frui votis queant. | |
| Atal. | Ignoscere facile tamen ego potui procis
Voluique. sed severior Apollo vetat;
Violanda nec sunt iura, quae mandat Deus. | 440 |
| Amp. | Ne virgo faveas: meruit Amphialus necem
Et tarditatis debitas poenas luat. | |
| Narc. | Narcissus etiam pendat, haud veniam rogat.
Nam mihi futura iam diu obieci mala
Statuique tecum vivere aut pro te mori. | 445 |
| Schoe. | Properare mihi videmini magis ad necem
Quam post amatam filiam. | |
| Amph. | sic nos decet.
Quoscunque vitae taedet, hi properant mori. | 450 |

Exeunt <Schoeneus, Amphialus, Narcissus, alii>.

Scena tertia

Manent Hippomenes et Atalanta.

- | | | |
|-------|---|-----|
| Hip. | Generosa virgo, pauca si effari licet ... | |
| Atal. | Paucissima; aut si placuerit, prorsus nihil. | |
| Hip. | At aliquid est, quod scire te forte expedit. | |
| Atal. | Expediat: aures mutuas nostras habes. | |
| Hip. | Laudare formam iam diu mos est vetus
Amantium; ipse si te amem, formam probo,
Probando laudo. sed quid hic famam petis
Vincendo inertes, maior ubi vinci pudor
Quam laus exit viciisse? sed et ingens quasi | 455 |

	Certasse vitium. sperne plebeios thoras Formamque pretio vende maiori tuam: Quod si animus ita fert, congregi ut paribus velis, Conferto mecum.	460
Atal.	quo nimis temere ruis, Periture iuvenis? si sapis, tecum prius Consilia celeri lenta de cursu cape.	465
Hip.	Consilia lenta non feret velox amor.	
Atal.	Tot iam ante victis posse te vinci quoque Timere debes.	
Hip.	nempe sic famae tuae Accedet ingens victo ab Hippomene decus; Et hoc timorem mihi facit mortis levem.	470
	Verum illud anceps: posse te vinci quoque Tot iam ante victis spes bona affulget mihi; Quisquis celerius cursitat, labi potest.	
Atal.	Qui non celerius currit, in luto haereat. Sin forte vincar?	
Hip.	quod, precor, nemorum Dea Verum esse iubeat; a pari vinci tuo Non est pigendum, cum pari ut nubas tuo. Megareus ipse genitor, huic Onchestius, Neptunus illi; sic Dei pronepos ego, Dei, tumentes qui regit fraenis aquas.	475
	Nec animus ausis genere nec virtus minor.	
Atal.	Agnosco pectus inclytum et vacuum metu Proboque. sed me, quam prius nullus dolor, Tot iam interemptis, ceperat, videor mihi Subito dolere; nec mei hoc cogit timor,	480
	Sed cura quaedam suadet aetatis tuae. I, procul ab oris, dum licet, iuvenis, fuge, Dumque miserandam nemini debes necem.	
Hip.	Si profugenti tu mihi advenias comes.	
Atal.	Haud, spero, fiet; nec tamen spero tuam, Hospes, ruinam: det aliquis medium Deus. Sed Apollo mihi minatus est diras faces;	485
	Quare te adhortor, me fuge et mortem simul. Quod dare ego maximum munus, fuga est.	
Hip.	Egone ut pudendam te sine arripiam fugam?	495
Atal.	Et perfer illud; si negas, certe feres Graviora. forsitan alia te faelicio	
	Manet uxor alibi; nulla, vel me iudice, Puella nollet nubere, Hippomene, tibi. Sed me misellam, quam negant superi tibi,	
	Ambire cessa.	500

- Hip. lingua me potuit tua
Movere, nisi quod forma me moveat magis.
- Atal. Desiste.
- Hip. ut auras trahere desistam, iubes.
- Atal. Vides periculum.
- Hip. et praemium video simul.
- Atal. Caecum amorem vince.
- Hip. te video et colo. 505
- Atal. Moriere.
- Hip. ratio haec una vivendi est mihi.
- Atal. Ah miser, amore digne meliori puer,
Vtinam minus amans vel magis velox fores!
Natura mater mihi pedes celeres dedit.
- Hip. Et mihi Cupido iam suas alas dabit. 510
Quod verba verbis? certa mihi sententia
Stat experiri sortis incertae vices.
Quin ergo longi rumpo sermonis moram
Ac destinato cursui me iam apparo?
Tu quoque te ipsam, nobilis virgo, excita;
Aut tibi parabis coniugem aut mortem mihi. 515

Exit Hippomenes.

Scena quarta

Manet Atalanta, sola.

- Atal. Quis hunc iniquus perderet iuvenem Deus?
Proh coelites! quis, dicite, hunc charae iubet
Vitae periclo petere coniugium meum?
Haud me profecto, haud ipsa me tanti aestimo, 520
Vt forma tanta in gratiam pereat meam.
Nec forma iuvenis me movet; poteram tamen
Hac quoque moveri, fata si sinerent mea
Formaque Phoebus spem mihi fruendi daret.
Sed quod puer adhuc me petat iungi sibi, 525
Non ipse, at aetas ipsa misereri iubet.
Quid, quod puello gratior virtus inest
Animusque certam excipere non segnis necem?
Quid, quod parentes ducit a caelo suos
Quartumque tenet in stirpe Neptuni locum? 530
Quid, quod et amore flagrat immenso mei
Tantique nostras nuptias putat, ut, sibi

Si me negarent fata, sustineat mori?
 Haud ulla amantes belluae perdunt suos.
 Sed, anime, quonam tendis? an maior tibi est
 Huius, Atalanta, cura quam famae tuae?
 Multos peremi; parcere huic tandem paro?
 Ipse, ipse caveat potius aut pereat miser,
 Quoniam peremptis plurimis nondum sapit
 Monitus procorum caede. sed demens sua
 Fortasse vitae taedio mortem petit. 535
 Ergo ille vel me mortis auctore occidet
 Ideo, quia mecum vivere optavit comes?
 Mortemque amoris praemium indignum feret?
 Victoriae huius quis pati invidiam potest?
 Sed ipse si se perdat, haud culpa est mea;
 Culpanda fata sunt tibi, Hippomene, tua.
 Ah, fata nimium tristia! ah, iuvenis miser!
 Nolle fuisse visa tibi! testor Deos,
 Est forma et aetas, Parca si sineret, tua 540
 Vixisse digna longius. quod si forem
 Faelicior ego nec maritales mihi
 Taedas negarent fata, tu solus fores,
 Quem mihi iugalis sumerem socium thori.

Scena quinta

Ingrid. ad Atalantam Schoeneus.

Schoe. Quid sola tecum, nata, meditaris, mea? 555
 Atal. Sola esse, genitor, a meis nequeo procis.
 Schoe. Quid, an alicuius umbra, quae periit, premit?
 Atal. Imo periturus provocat cursum ad novum.
 Schoe. Effare, quis sit ille?
 Atal. quem minime velim:
 Sortem experiri intendit Hippomenes suam;
 Et qui furentes iam diu elusit procos,
 Nunc ipse amore prorsus insanit mei. 560
 Schoe. Miser adolescens. non feram, ut tanto mea
 Violetur aula funere; arcebo nefas.
 Atal. Arcere vellem et ipsa; proficio parum.
 Is, cui nocebit, solus hoc nimium cupit.
 Schoe. Monitus cavebit.
 Atal. consilia sprevit mea.
 Schoe. Desistere utinam vellet!

Atal. est nimium tenax
Voti sinistri, mentem amor totam obtinet.

Schoe. Ignoro certe, quid bene in tantis malis
Statuere possim. si tamen flecti nequit,
Sed quaeret amens aut sibi thalamum aut necem,
Pendere dubiam non sinam sortem diu.
Eripere morte quem nequeo, longo metu
Volo liberare. nata, te idcirco para:
Contentionem hanc crastinus dirimet dies;
Et cras vel iste nullus Hippomenes erit
Vel tibi maritus. horum utrum tu debeas
Efficere, tecum cogita.

Atal. neutrum velim,
Sed nostra virtus illud et sors iudicent.

Exeunt.

Actus quintus

Scena prima

Ingred. Hippomenes cum Davo ad templum Veneris.

- Hip. Delubra magna Veneris et marmor Deae
Sacrum profanis impius pedibus premo,
Et pudet adire; at expedit: mitem Deam
Hanc esse perhibent; mitem ut inveniam, precor.
En, thura sacris nostra iam fumant foci:
Sic vota amator Cypridi solus mea. 585

Genua flectit Hippomenes.

- Dav. Cupido puer est, ego puer puerum rogo.
Hip. Parce, o benigna montis Idalii Dea,
Si forte laesi numen ignarus tuum.
Poenarum abunde est, quod tuas iam sentiam,
Quas ante sprevi mente vesana, faces. 590
Nunc ipsa flamas, quas mihi dedisti, adiuva
Meliorque miserum respice. advolvor tuas
Supplex ad aras, te penes tota est sita
Coepti laboris palma. cultorem tuum
Serva fidelem, Diva; sic victor nova
Tibi tempa condam, tibi feram cultus novos,
Et ara stabit thure perpetuo calens.
Dav. Tu quoque, Cupido, fac, herus vincat meus;
Et tibi sagittas aureas binas dabo. 600
Hip. Revulsa mensa sedibus crepuit suis.
Horresco, quid portentat.

Velum deducitur: Venus et Cupido placidi conspiciuntur.

- Ven. Hippomene, sat est:
Iam poenitenti ignosco. sed posthac cave,
Ne nostra ludas numina. interea cape
Venus dat ei tria mala aurea.
Mala aurea tria; cumque te lassum incipis
Sentire, primum proice in media via,
Dein secundum et tertium. nolens, volens
Tollet, ego cogam; coget ipsa auri fames.
Sic dum moratur virgo dumque onus ad moram
Accedit, ipse victor attinges prius 605
Metam laboris. 610

Cup.	mater, in primis reor Opus, ipsa ut adsis.	
Ven.	ad ero; non etenim Venus Deserere amantes rebus in dubiis solet. I, perge, curre, vince; tum Venerem cole.	
	<i>Velum iterum deducitur.</i>	
Hip.	Colam? per omnes iurat Hippomenes Deos, Nisi te benignam semper observem Deam, Quod taceat aetas nulla, supplicium luam.	615
	<i>Surgit a solo Hippomenes.</i>	
	O fausta talis, quae mihi fructum tulit, Arbor; colenda, quae dedit fructum Dea. Per ista voto perfruar tandem meo.	
	Ex homine misero quam subito fiam Deus!	620
Dav.	Quam subito misero ex assecla fiam potens.	
Hip.	At quicquid hodie, Dave, transactum est, sile.	
	<i>Exit Hippomenes.</i>	

Scena secunda

	<i>Manet Davus.</i>	
Dav.	At quicquid hodie aggrederis, Hippomene, cave. Nunc ille credit aureis pomis, quasi Atalanta virgo tenera foret infantula, Cui poma tantum per placent. equidem omnium Inscitiam amantum miror, in primis mei Domini. sed ista vos, scio, ut par est, latet. Satis est, quod ipse intelligam; solus mihi Intelligensque rideam, ut Davum decet.	625
	Iam non quod ipse debeam, at tantum meae Recreationis ergo, quasi servus sequar.	630
	<i>Exit.</i>	

Scena tertia

Ingred. Corydon, Menalcas, Sylvanus, Phoebe.

- Coryd. Sane, Menalca, non ego hos cursus probo;
 Nec video, quorsum barbara procorum lues,
 Nisi virgines ambire mortiferum foret.
 Sed - me quod angit maxime - a stabulis pecus
 Arcent, equorum pedibus et calcant agros. 635
- Men. Imo, imo, Corydon, vel decus magnum reor,
 Calcare quod dignentur hos nostros agros
 Tam clara princeps, tanta nobilium cohors. 640
- Phoeb. Et, chare genitor, si mihi affari licet,
 Non dignus est uxore, qui cursu levi
 Superare nescit.
- Sylv. pace sed, Phoebe, tua:
 Levitate nunquam cedere mulieri pudet. 645
- Phoeb. Sylvane, levitas illa non levitas pedum.
- Men. Quam docilis aetas, quam cito in amores ruunt.
- Coryd. At, nata, cum tu nubilis fueris, domi
 Mane nec agris cursita, ut quaeras virum.
- Men. At cresce, fili, cumque semel adoleveris,
 I, curre, quaere coniugem et placeas tibi. 650
- Coryd. Vt ista iubeas, non opus.
- Sylv. citius tamen
 Meliusque faciam, si patris monita audiam.
- Coryd. Quid hic iocamur? turba ne subito opprimat,
 Sibi stationem quisquis sedemque eligat. 655

Se locant in partes scenae.

Scena quarta

Ingred. Doris, Sylvania, Davus.

- Dav. Hic maxime opportunus est nobis locus.
- Dor. Metae satis propinquus.
- Coryd. at nobis nimis
 Molestus; ergo tibi novam sedem para.
- Dav. Insulse pastor, quid cupis?

Coryd.	puer impudens, Nonne patieris me meo placide frui? Meus ager iste, quem premis.	
Dav.	an aer tuus? Communis aer omnibus, et illam hauriam.	660
Coryd.	Sedem parare si potes tibi in aere Nec interim calcare viridantes agros, Non obsto.	
Dav.	faciam id facile.	
	<i>Humeros ascendit.</i>	
	num terram premo?	665
	Num viride gramen calco?	
Coryd.	quid, nequam, paras?	
Dav.	In aere locum quaero perque humeros tuos Ascendo.	
Syl.	mitte haec, Dave; nam princeps adest. Cui displicere turba querulorum potest.	

Scena quinta

Ingred. Schoeneus cum duobus Anteambulonibus.

Coryd.	Nunc ista Rex intelliget.	
Dav.	pastor, tace.	670
Men.	Ridicula quereris.	
Coryd.	ridicula?	
Dav.	pastor, taces?	
Schoe.	Hic considete, iudices cursus novi, Cumque gemitu observate, quo praeceps amor Ferat innocentes. quam tamen vellet pater Victam videre filiam, ut certamini	
	Certaminisque sanguini finis foret!	675
	Sed vereor equidem, vereor Hippomenem nimis Tardum futurum.	
Ante.I	sed alacrem vidi tamen Et quasi inhiantem splendidae victoriae.	
Ante.II	Accessit audax ad locum et signum tubae Avidius exspectavit.	680
Schoe.	ita multi prius. Sed nequis erret, meta currenti obvia Et aperta fiat.	

Tuba sonet intus.

Ante. II iam dedit sonitum tuba.
Schoe. Nunc, nunc uterque pronus in cursu emicat.
Dav. Nunc, Domine, propera!
Dor. Atalanta, nunc curre ocios! 685

Clamor intus, quasi Hippomenes primum aurem malum proiecerat et prae- cederet Atalantam.

Schoe. Quorsum iste clamor? quid sibi hi strepitus volunt?
Ante. I Fortasse primum deserit cursu ultimus.

Ingred. Venus et Cupido: aurea virga viam designant; deinde in partes scenae se collocent, ut Atalantae cursum impedian et aureum malum tollere cogant. clamor intus iterum, quasi Hippomenes secundum malum aureum proiecerat.

Schoe. Iterumque clamor. ita populus solet?
Ante. II Iam primus ante factus est iterum prior.

Scena sexta

Ingred. Hippomenes et Atalanta currentes.

Schoe. Ecce, veniunt.

Hippomenes, ut intrat, tertium aureum malum proiicit. dum Atalanta Venere agente colligit, ille metans attingit prius.

Hip. nunc, Dea, aut nunquam iuva.
Omnes Io triumphē.
Schoe. nunc tua, Hippomene, tua est.
Omnes Io triumphē.
Atal. quam pudet, captam pudet!
Quam me fefellit vanus hic auri nitor!

Project malas.

Hip. Quam te beatam reddidit! nec enim velim,
Vt quis Atalantam cursu in hoc victimam putet:
Currebat, ut quae nollet hodie vincere;
Currebat, ut quae nollet Hippomenem mori.
Mihi voluisti parcere, et fateor quidem
Vitamque munus semper agnoscam tuum.

Atal. Et vive faelix meque captivam rape.
Spolia ampla referes virginem victam dolis.
700
Schoe. Vtcunque, chara nata, nollem aegre feras
Te subito factam coniugem, Hippomenem virum.

- Nam dignus est amore nec thalamo tuo
Indignus.
- Atal. equidem, genitor, agnosco lubens 705
Vxore dignum; meque vix dignam reor
Tali marito. sed tamen ...
- Schoe. sed quid tamen?
- Atal. Quod victa sim, non doleo; sic vinci dolet.
- Schoe. Sic vinci oportet arte, quam vis non domat.
Sed quid moramur? Delphici ad templum Dei 710
Properemus omnes, ut ibi foelici omne
Celebremus hodie nuptias; nec enim licet
Differre: cum parata iam sint omnia,
Mora nocet omnis.
- Hip. et amor impatiens morae.

Exeunt.

Epilogus

Haec olim Adoni pulchra narravit Venus, 715
Puero ut placeret; egit haec hodie Venus
Ficta, tamen ut placeret. et vobis, viri,
Placere vates studuit, haud credens fore
Aut indecorum aut dissonum, hoc ipso die
Cursus peragere. nam quid hoc tempus monet, 720
Nisi iam peractum cursum et inceptum novum?
Praeteritus annus in procis victis gemit,
Quia iam quasi periere transacti dies;
Triumphat at victore in Hippomene novus.
Foeliciter peregit is cursum suum 725
Et ope secundi numinis votum attigit;
Foeliciterque currat hic annus, precor,
Possitis ut vos singuli votis frui.
Quod restat unum: si placet, voto suo
Fruitur poeta; nec alium applausum petit. 730

Exit.

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegen der Faksimile-Druck der Handschrift von Weckermann (1981; Brit. Mus. Ms. Harleian 6924) und die zweisprachige Erstausgabe von Mahaney/Sherwin bzw. Sherwin/Freyman (1973; Text bzw. Übersetzung) mit genauer Beschreibung der handschriftlichen Eigenheiten S.24f.; durch die Einbeziehung von Prolog wie Epilog ist die Verszählung hier leicht verschoben.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *faelix* statt *felix* (700, neben *foelix* bei anderem Sprecher), *o* statt *oh* (66, 418).

Groß geschrieben wurde: *Deus/Dea* (14, 122, 209, 340, 491, 517, 615, 619), *Domina* (346), *Musarum* (191), *Rex* (427, 670 sowie im Darstellerverzeichnis); klein dagegen - z. T. auch in Anreden: *nate/nata* (34, 95, 141, 158, 263, 277, 384, 396, 555, 702), *divi* (139), *clarius* (242), *mater* (267, 281, 387), *nobilis* (515), *furentes* (561).

Bei den Sprecherabkürzungen wurde *Ante.* statt *Antea.*, *Anteam.* gesetzt, bei den Regieanweisungen und im Darstellerverzeichnis wurden die vielfach abgekürzten Eigennamen ausgeschrieben und einheitlich *ingred.* statt *ingr.*, *ingre.* sowie *exit/exeunt* statt *ex./exe.* verwendet.

v7	<i>ingred.</i> ergänzt
59	<i>sed enim</i> statt <i>sed enim</i>
97	<i>Divo</i> statt <i>Divi</i>
114	<i>carebis</i> statt <i>cavebis</i> (im Original evtl. auch <i>carebis</i> ; vgl. 38, 52, 53)
131	<i>genitor</i> Mahaney/Sherwin statt <i>gemitor</i>
295	<i>suavius</i> statt <i>savius</i>
n381	<i>exeunt</i> ergänzt Mahaney/Sherwin
435	<i>Deus</i> Mahaney/Sherwin statt <i>Deos</i>
n450	<i>Schoeneus, Amphialus, Narcissus, alii</i> ergänzt
515	<i>te ipsam</i> statt <i>te ipsam</i>
552	<i>maritales</i> statt <i>maritalos</i>
609	<i>sic</i> Mahaney/Sherwin statt <i>dic</i>
613	<i>dubiis</i> statt <i>dubii</i>
618	<i>talis</i> statt <i>talos</i>
708	<i>quod victa sim, non doleo</i> statt ... <i>victor sim non doleo</i> (letzteres übersetzt als ... <i>non, doleo</i> ; zu erwarten jedoch zumindest ... <i>non sim, ...</i>)

‘Komma’ gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 16, 21, 42, 48, 53, 73, 77, 103, 139, 193, 205, 211, 218, 221, 233, 246, 275, 317, 340, 412, 421, 440, 447, 460, 482, 493, 508, 516, 523, 536, 538, 552, 577, 607, 609, 649, 667, 700, 704, 725

‘Komma’ gestrichen nach: 232 *Dianae*, 283 *transfixus*, 290 *amantes*, 339 *nymphae*, 404 *supplex*, vor 432 *vincti*, 448 *videmini*, 471 *vinci*, 509 *mater*, 517 *perderet*, 530 *quartumque*, 573 *dubiam*, 574 *morte*, 582 *sacrum*, 607 *volens*, 677 *vereor*

‘Komma’ ergänzt: 1, 2, 5, 7, 14 *tellus*, 30, 32, 32, 33, 36, 36, 40, 40, 41, 53, 54, 59, 64, 68, 75, 80 *sit*, 96, 96, 99 *venis*, 100, 107 *narrabo*, 108, 112, 113, 116, 120, 125 *remittas*, 132, 137, 142 *et*, 142 *potes*, 148, 154, 155, 166 *salve*, 170 *tam*, 172 *sequi*, 174, 178, 183, 198, 204 *vel*, 204 *superat*, 213, 214, 231 *dilecta*, 231 *Doris*, 242, 244 *lege*, 244 *modo*, 252, 254, 259, 259, 260, 264, 269, 270 *faciam*, 279 *levi*, 282 *en*, 286 *modo*, 286 *Hippomene*, 288, 289 *nunc*, 290 *nunc*, 290 *lude*, 315 *fateor*, 327, 327, 334 *vaga*, 338, 352, 352, 354 *digna*, 359, 361, 368, 369, 370, 371, 372, 373, 377, 377, 385, 386, 386, 394, 404 *opemque*, 405, 418, 422, 424, 430, 432, 437 *qui*, 438 *qui*, 439, 452, 463, 473, 474, 475, 475, 478 *Onchestius*, 487 *i*, 487 *iuvenis*, 490, 490, 490, 491, 532 *ut*, 535, 535, 538 *ipse*, 543, 548, 548, 553 *fores*, 555 *meditaris*, 559, 561, 575 *nata*, 579 *efficere*, 584, 585, 588 *Dea*, 590, 592, 592, 596, 599, 599, 599, 602, 602, 603, 615, 617, 618, 618, 619, 623 *hodie*, 623 *Dave*, 624 *aggrederis*, 626, 630, 631, 634, 634, 635 *video*, 639 *imo*, 639 *imo*, 639 *Corydon*, 642 *licet*, 644, 644, 646, 649, 652, 659, 659, 661, 666 *quid*, 668, 670, 675, 677, 684, 685 *Atalanta*, vor 686, vor 688 *iterum*, vor 690 *Hippomenes*, vor 690 *intrat*, 690, 690, 690, 694, 696 *vincere*, 708, 713

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 210 *otii*, 437, 438, 538 *miser*, 572

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 18 *senem*, vor 114, 270 *umbra*, 277 *laudo*, 346 *comes*, 480, 571, 579 *velim*, 582, 597, 606, 606, 608, 628, vor 688 *collocent*, 691 *Hippomene*

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 11 *matris*, 49, 55, 63, 72, 89, 101, 103, 115, 125 *patri*, 128, 142 *dare*, 169, 224, 236 *parens*, 246, 293, 297, 305, 334 *visa*, 339, 349, 382, 384, 389, 392, 415, 435, 445, 453, 462 *velis*, 487 *fuge*, 523, 525, 533, 553 *fata*, 563, 587, 590 *est*, 594, 597, 616, 632, 650 *adoleveris*, 653, 664, vor 690 *colligit*, 692, 717 *ficta*, 722, 727 *precor*

- ‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 458, 527, 529, 531
 ‘Komma’ statt ‘Klammer’: 77, 84f., 88, 88, 91 *animus*, 91 *iuvenes*, 131, 131, 144, 149, 149, 173, 173, 217, 217, 268, 268, 333, 333, 337f. *premens*, 341, 341, 362, 362, 369, 420, 420, 427, 427, 536, 536, 550, 550, 642 *et*, 642 *genitor*, 672, 717, 717
- ‘Punkt’ gestrichen: 285 *tyrannum*, 592 *adiuva*
 ‘Punkt’ ergänzt: vor 7, vor 259, vor 432, 441, 449 *decet*, 451 ..., 563, vor 634
 ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 27, 31, 92, 102, 119, 153, 155, 192, 194, 214, 251, 257, 262, 272, 277, 281, 286, 303, 315, 324, 347, 357, 368, 373, 376, 385, 388, 394, 445, 470, 480, 491, 497, 499, 521, 534, 540, 551, 571, 573, 575, 589, 595, 603, 604, 608, 670 *intelliget*, 681 *prius*, 688, 697, 707, 709
- ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 54, 62, 75, 79, 87, 100, 156, 160, 162, 187, 225, 237, 241, 249 *cur-sui*, 260, 274, 298, 365, 390, 411, 434, 457, 460, 483, 493, 505 *vince*, 547, 578, 584, 601, 607, 627, 629 *Domini*, vor 690 *proiicit*, 717, 720
- ‘Punkt’ statt ‘Komma’: 82, 95, 108, 185, 338, 429, 593, vor 656, 700
- ‘Strichpunkt’ gestrichen: 12 *sagittas*, 274 *caecus*, 446 *mala*, 482 *metu*, 513 *moram*, 580 *illud*, 581 *Veneris*, 663 *aere*, 680 *locum*, vor 688 *impediant*
 ‘Strichpunkt’ ergänzt: 37, 46, 696, 723
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 403, 469
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 5, 54, 70, 75, 85, 94, 112, 126, 147, 283, 297, 328, 341, 373, 441, 498, 576, 599, 612, 668, vor 688
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 13, 14 *genus*, 16, 80, 106, 150, 172, 184, 188, 197, 245, 278, 318, 368, 369, 384, 490, 546, 619, 708
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Klammer’: 77
- ‘Doppelpunkt’ ergänzt: 644
 ‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 60, 154, 265
 ‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 25, 148, 231, 247, 287, 384, 387, 396, 427, 434, 443, 491, 583, 695, 713, 729
 ‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 20, 281, 329, 575
 ‘Doppelpunkt’ statt ‘Klammer’: 144
- ‘Fragezeichen’ gestrichen: 527 *inest*, 529 *suos*, 531 *mei*
 ‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 514
 ‘Fragezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 250, 254, 459
- ‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 403, 414, 692
 ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 568, 621, 676, 685, 685, 693
 ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 549
 ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 183, 548, 548, 694
 ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 508
 ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Fragezeichen’: 311, 313, 313, 314
- ‘Anführungszeichen’ ergänzt: 36ff., 40f., 156, 422
 ‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 104, 339, 402f., 637
 ‘Klammern’ gestrichen um: 85 *excelse princeps*, 338 *ut credo*, 342 *nec ... locus*, 369 *procii*, 414 *bone Deus*, 433 *dilecte princeps*, 491 *hospes*, 523f. *fata ... daret*, 563 *miser adolescens*, 596 *Diva*, 672 *iudices*